



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sente[n]tia I. Ioan. III. Sic Deus dilexit mundum &c. xx.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

ex ut millibus, qui per tuam misericordiam saluantur, frateris ea fiducia, quā semper in te collocavi. Amen.

SENTENTIÆ EVANGELICÆ INSIGNIORES, ex melliflua & salutifera Doctrina Domini nostri Iesu Christi.

SENTENTIA I. Ioannis 3.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non peccet, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.

PARACLESIS.

Hanc amplissimam Consolationem, ô homo, animo tuo penitus insige, & cogitatione huius dulcissimæ Sententiæ fidem in te accende: hac te sustenta in periculis, cum te angit peccatū, terror mortis, & iudicij Dei. Et in primis quidem magnitudinem amoris contemplare. Deus immensus & infinitus, nullius egens, nullius debitor, dilexit mundum. Quem mundum? Homines in mundo egentissimos: oppressos peccato, morte, & infirmitis miseris. Quomodo dilexit? Sic, vt non solum non visceretur admissa scelera, sed pro mundi salute gratia sua bonitate daret, non Angelum, non Prophetam aliquem, sed filium, eumq; quem habuit vnicum. Angelum si quidem dedisset, non erat res parua: nunc autem dato filio, excellentiorem ostendit charitatem. Adhuc si multos habuisset filios, vnumq; ex eis dedisset, & hoc maximum fuisset: nunc Vnigenitum dedit. Summa igitur hæc fuit dilectio: quæ tunc etiam magis appareret, si addatur quo pacto dederit: videlicet vt mortem, CAP. XXIII

O s camq;

eamq; amarissimam pariter & ignominiosissimam pro nobis pateretur, adhuc impiis & peccatoribus. Quod autem dicitur: Vt omnis qui CREDIT in eum: ostendat Christus, quanta facilitate fructum hunc maximum consequamur: dñ FIDES, res scilicet facilima, exigitur, vt Christo incorporemur, & meritorum eius reddamur consortes. Hac est enim summa Dei benignitas; vt tali medio dignetur nos sua gratia participes facere. Commendatur & huius diuini Amoris magnitudo: quod sine discrimine & exceptione, OMNIS QUI CREDIT in eum, huius fructus particeps esse possit: nempe quod a perditione liberatur, & consequitur vitam non temporalem, sed eternam. Nullus ergo excipitur, nullus excluditur: ex quocunq; statu, ex quocunq; lapsu, si credat, perire non timeat. Non enim misit Deus filium suum, vt pro commissis sceleribus mundum condemnaret, quod iuste facere potuisset: sed vt perditioni obnoxius mundus per ipsum salutem consequeretur. Itaque cum adeo valide nos Deus amet: non est quod existimemus eum ullo pacto, aut ullis in periculis defuturum nobis. Vide Roman. VIII.

Ambros. de
Pœnitent. lib.
I. ca. 10.

SENTENTIA II. Matthei 9.

Pharisæi dicebant discipulis Iesu: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiã.

PARACLESIS.

CAPVT
XXI.

MEdico se comparat Christus, ostendens qua ratione mundum hunc tanquam nosocomion ingressus sit: nempe curandi non perdendi gratia, ad curandos